

ANN. XVIII - FASC. VI


MENSE IUNIO MCMXXI

# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Iunio MCMXXXI

Fasc. VI

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romanum, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

## DECIMOQUINTO EXEUNTE SAECULO A CONCILIO OECUMENICO EPHESINO I

Sisinnio, Constantinopolano Patriarcha vita functo, adversis partium studiis exortis, visum est non ex Constantinopoli, sed ex Antiocheno Ecclesia successorem diligere. Is Nestorius monachus fuit, dicendi facultate valde praestans, qui Anastasium presbyterum, quo familiarissime utebatur, secum comitem adduxit. Hic, quum aliquando verba ficeret ad populum, Beatissimam Virginem Mariam vocandam esse *Deiparam* impudenter negavit, propterea quod ab humana foemina Deus nasci non posset. Excitavit impia vox magnos populi fremitus ac tumultus; eam tamen collaudavit Nestorius, concione habita, in qua Christum in duas distractit hypostases ac personas, in eoque asseruit, sicut naturas duas, ita et filios duos, et Christos duos, unum quidem Deum ex Patre Deo, hominem alterum ex Matre quam idcirco non *Theotocon* (*Deiparam*) sed *Christotocon* appellavit. Pravus hic error per Orientem vulgatur, eo magis quod Nestorius cum suis et libros ad rem exarasset, quos ad complures, inter quos

ad Aegypti Manachos, misit, et etiam quod acerbe in adversarios orthodoxae fidei firmiter adhaerentes Constantinopoli saeviret. Cyrillus, Alexandrinus episcopus, doctrina eximius, vigilancia pari, ex adverso, primum scripsit epistolam, in qua Patrum, qui Nicaenae Synodo an. cccxxv adfuerant, atque in primis S. Athanasii testimoniis, Sanctissimam Virginem *Deiparam* appellandam esse ostendit, eodemque tempore, ne Nestorianae venena in Augustorum animos atque Augustarum illaberentur, commentarios ad Imperatores atque Pulcheriam et Eudoxiam reginas submisit.

Rebus a Caelestino Pontifice Maximo cognitis, statim Romae an. cccccxx Concilium coegit, Nestorii haeresim condemnavit, eiusque ipsi auctori decem dierum spatium ad resipiscendum praescripsit, quibus frustra elapsis, se anathemate affectum sciret. Suas tamen litteras noluit Pontifex recta ad Nestorium perferri, sed per Possidonium ad Cyrillum misit, cum delegata eidem potestate causae Nestorii prosequendae. Quas quum Cyrillus acce-

pisset, confestim Alexandriae Synodum collegit, ubi quatuor electi sunt Episcopi legati, qui Constantinopolim ad Nestorium Pontificis litteras deferent. Hic vero non solum Pontificis iussis parere noluit, sed publice, pro concione, eadem quae antea, iisque deteriora dogmata proposuit. Crescente sic Nestorii audacia, quumque sententia in ipsum lata exequutioni mandari non posset, rogatus Theodosius, Oecumenicum concilium Ephesi indixit, quod in templo S. Mariae in diem xxii mensis Iunii ccccxxxii convocatum est, assentiente Romano Pontifice Caelestino.

Episcopi bis centum convenere; die quae sessioni primae antecessit, plures Episcopi proposuerunt in ius apud Concilium Nestorium vocari ut factorum suorum rationem redderet; quod per quattuor Episcopos factum est. Nestorius vero vadimonium deseruit; itemque secunda tertaque citatione iterata.

Cum Nestorii igitur contumacia habitum Concilium est, cuius in sessione prima, perfectis convocationis litteris, quas Theodosius ad Metropolitas scripsérat, sollemniter Nicaenum symbolum pronuntiatum est. Deinde secunda Cyrilli epistola ad Nestorium et haeretica Nestorii ad Cyrillum, itemque Caelestini Pontificis Maximi et Romanae Alexandrinaeque Synodi epistolae, cum Litteris Cyrilli postremis et earum « anathematismis » recitatae sunt. Accessit relatio impiorum verborum, quae Theodosius Ancyranus et Acacius Melitenus aliique episcopi ex ore ipso Nestorii acceperant. Deinde, inductu Flaviani, Philippensis episcopi, multis Sanctorum Patrum testimoniis allatis, rursus demonstratum est, unionem Verbi divini cum humanitate indivise et inconfuse in utero B. Mariae Virginis factam esse, duasque naturas in una hypostasi coniunctas et unitas fuisse. Quum autem ab hac orthodoxa Patrum et Ecclesiae doctrina Nestorii scripta certum esset abhorrere, in Nestorium, haereseos nef-

riae convictum, lata est excommunicationis et « exauktorationis » sententia, cui Episcopi omnes subscrpsere.

Post haec, repetito Nicaeno Symbolo, « sub anathemate » praeceptum est ne quis aliquid, praeter id quod per Nicaenam Synodum definitum esset ad Fidem adiicere ullo modo tentaret. Protulit quoque Synodus epistolam ad clerum populumque Constantinopolitanum, qua eos de Nestorii damnatione certiores ficeret.

Non equidem Nestorius eiusque asseclae hisce acquieverunt; quinque enim post dies, cum Ioanne Antiocheno, indignissime se ferre palam profitente, quod non habitatione sui absens — (atqui dedita opera is absuerat) — seque inconsulto prolata fuisset sententia, coiverunt atque S. Cyrillum et Memnonem, Ephesiorum episcopum, pro arbitrio deposuere, omnesque qui ad Synodum convenerant, devoverunt.

Interim vero, die nempe decima mens. Iulii, Ephesum pervenere Sedis Apostolicae legati Arcadius et Projectus episcopi, ac Philippus presbyter, eademque die actio Concilii secunda celebrata est; in qua solemni ritu Caelestini Pontificis Maximi litterae ad Concilium ipsum, ex latino graece redditae, lectae sunt, atque a Patribus acclamatum est « Novo Paulo Caelestino — Custodi Fidei — Cum Synodo concordi — Cui universa Synodus gratias agit ».

Postridie, in actione tertia Pontificis legati declararunt, actis primae sessionis in examen a se revocatis, sententiam contra Nestorium latam ecclesiasticae disciplinae conformem se invenisse, ideoque ratam habere. Ideo synodica epistola, ab adstantibus Episcopis subscripta, ad Imperatorem datur, qua de legatorum adventu atque utriusque Ecclesiae consensu circa Nestorii damnationem certior fit, simulque rogatur, ut novus Praesul Constantinopolitanae Ecclesiae dari sinat.

Verum Ephesini Concilii non hic finis fuit. Habitae enim sessiones aliae, praeser-

tim in Ioannem Antiochenum, qui, uti superius diximus, cum Nestorianis asseclis contra ius Cyrillum et Memnonem uti haereticos damnaverat. Peculiariter nota actio digna est, die xxii Iulii habita, in qua iterum Nicaenum Symbolum recitatum est una cum Patrum testimoniis, quae in actione prima allata fuerant in damnationem Nestorii. Quum vero Charisius, Philadelphiensis Ecclesiae « oeconomus », haereticam Fidei formulam exhibuisset, quam Nestoriani subscribendam offerebant quasi Symbolum Nicaenum esset, Patres, communis sententia, sub « excommunicationis et depositionis poena » decreverunt, alteram Fidei formulam nemini licere aut conscribere aut componere, praeter definitam a SS. Patribus Nicaenis.

Concilium iuxta nonnullos auctores die xxxi mens. Augusti, iuxta alios die xxxi mens. Iulii conclusum est cum excommunicationis ac depositionis sententia contra Ioannem Antiochenum eiusque asseclas, sexque « Canonibus » constitutis contra dissidentes ab iis, quae a Synodo constituta fuerant.

Denique Patres acta sessionum ad Theodosium mittenda curarunt; verum quum dolo Candidiani Comitis, quem Imperator « Protectorem » Synodo dederat, atque, contra se Concilio intensum ostendit, litterae illiae, sicut et aliae ad Imperatorem datae, interceptae fuissent, easque dumtaxat litteras Imperator accepisset, quas Nestoriani submiserant; ex silentio orthodoxae partis aequitatem Nestorianae causae suspicatus Theodosius, per Palladium ad Praesides scripsit, ne quemquam Episcoporum ad Ecclesiam suam redire permetterent, praecepitque acta sive adversus Nestorium sive alios, contra suum ordinem et mandatum gesta, penitus esse irritanda, integrandumque iudicium, ut cuncta rite fierent. Verum Patrum authenticae litterae ad orthodoxorum Constantinopolitanam ecclesiam quum pervenissent, dolo patefacto, Dalma-

tius Constantinopolitanus Archimandrita, monachorum agminibus stipatus, Imperatorem adiit, qui, decretis Concilii de Nestorii damnatione adquievit; ad sedandas autem controversias inter Ioannem Antiochenum et Cyrillum, facultatem tribuit eidem oecumenicae Synodo quos vellet Constantinopolim mittere, qui omnia ei referrent. Priusquam vero Episcopi ad rem deputati in urbem advenirent, Imperator novis mendaciis ac fraudibus deceptus, in Cyrillum et Memnonem tamquam seditiosos invehitur eosque cum Nestorio in carcerem addixit. Tandem vero Episcoporum Constantinopoli degentium, atque Dalmatii et Pulcheriae Augustae precibus commotus, octo ex utraque parte oratores Constantinopolim primum, deinde, mutato consilio, Chalcedonem coegerunt; Nestorium autem Epheso iussit abire, sublatu ei spe redeundi ad Sedem Constantinopolitanam. Quum denique Episcopi a Synodo oecumenica ad Theodosium missi, post multas concertationes adversarios superassent, Imperator ad Synodi partes tandem omnino inclinavit: Maximianus Episcopus Constantinopolitanus electus est; Nestorius in suum S. Euprepii monasterium apud Antiochiam relegatus.

Cum Ioanne Antiocheno mitius actum. Quae enim a Synodo in eum statuta fuerant, haud adeo presse visa sunt exequutioni mandanda, eoque magis quod encyclicis litteris a Caelestino ad omnes Patres, qui Ephesino Concilio interfuerant, missis, hortatus fuerit ut ad Ioannis ipsius aliorumque Nestorianorum conversionem sedulam impenderent operam. Quae quidem optatum exitum assequuta est: anno enim proxime sequenti ad concordiam dissidentes, et Ioannes cum suis, rediere, damnato Nestorio, atque criminum confessione se apud Romanum Pontificem rite abluti.

Hae Concilii Ephesini vices summae fuere, cuius iure meritoque saecularis memoratio Pii XI, nunc Petri cathedram

dignissime occupantis, hortatu per orbem universum celebratur, quippe quod sanctissimam ac dulcissimam B. Mariae Virginis *Deiparae* notam apud christianum populum perpetuo firmaverit.

X.

### ROMA CENTRUM ORBIS CATHOLICI TRIBUS PRIMIS SAECULIS

(MNEOSYNON).<sup>1</sup>

Habemus itaque factum historicum continuum et universum iam ab initio Ecclesiae, Christianos considerasse Romam ut centrum, caput, cor totius orbis christiani. Quae causa huiuscmodi facti? Quomodo hoc factum historicum explicatur?

Num Roma Christianos attrahebat, quia splendore et maiestate nitebat? Minime gentium! Christiani splendorem et pompas seculares fugiebant.<sup>2</sup> - Num ludi Circenses, gladiatori et alia festa? Ab his Christiani quam maxime abhorrebat! «Nihil est nobis dictu, visu, auditu cum

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Minutius Felix in suo *Octavio* sic inducit Caeciliūm ethnicum contra Christianos exprobantem: Vos (Christiani) vero suspensi interim et solliciti, honestis voluntatibus abstinetis. Non spectacula visitis, non pompis interestis, convivia publica absque vobis, sacra certamina, praecertos cibos, et delibatos altaribus pótus abhorretis. Sic formidatis deos, quos negatis. Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis. — His exprobationibus Octavius christianus respondet: «Nos (Christiani) igitur, qui moribus et pudore censemur, merito malis voluntatibus et pompis vestris et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curribus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis homicidiis disciplinam? In scenicis etiam non minor furor et turpitudo prolixior. Nunc enim minus vel exponit adulteria, vel monstrat; nunc enervis histrio amorem dum fingit, infligit... MINUTIUS FELIX, *Octavius*, c. 12, 37. (MIGNE, P.L., 3, 283, -369 sq.).

<sup>1</sup> TERTULLIANUS, *Apologeticus*, c. 38. (MIGNE, P.L., I, 529 sq.), et etiam *De spectaculis* eiusdem Tertulliani (MIGNE, P. L., I, 703 sq.).

<sup>2</sup> Christiani dicebantur *irreligiosi in Cæsares* (TERTULLIANUS, *Apolog.*, c. 40.); *hostes populi Romani* (TERTUL., *Apolog.*, c. 42).

insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum xisti vanitate», exclamabat Tertullianus in suo *Apologeticō*, nomine omnium Christianorum.<sup>1</sup> - Num dominatio et potestas illa Imperatorum Romanorum, qua tunc multis provinciis et regnis sibi subiectis late et longe dominabantur? At imperatores Romani infestissimi hostes Christianorum erant; diuturnis et cruentissimis persecutionibus illos insectabantur; eorum nomen etiam destruere volebant.<sup>2</sup> Potestas et dominatio tyrannica imperatorum Romanorum Christianos Romam attrahere non potuit, sed potius eos ab ea repellere. - Num Roma facta est caput et centrum totius orbis Christiani, quia Romanus Episcopus sociali suo influxu in res publicas imperii effecit, ut ad ipsum fideles undique concurrent, ab illo auxilium et consilia quaererent? Nullo modo influxus socialis Romani Pontificis causa esse potuit illius facti historici continui et universi! Romanus Pontifex tribus primis saeculis nullum influxum in res publicas Imperii Romani exercuit; nam huiusmodi influxum habere non potuit. Despectui et odio ab infidelibus habitus, ex parte Imperatorum Romanorum sine intermissione persecutionibus expositus; saepius coactus in catacombis vitam agere et illam communiter martyrio terminare, non interveniebat nec intervenire poterat in res publicas imperii; ergo ob hanc causam fideles ad eum recurrere non poterant. His omnibus addere debemus imperatores Romanos suspiciosissimos fuisse de Romanis episcopis, sicut nobis s. Cyprianus de imperatore Decio testatur scribens, «multo patientius et tolerabilius audire levari adversus se aemul-

ium principem, quam constitui Romae Dei sacerdotem». Nullum ergo influxum in res politicas Romani Pontifices tribus primis saeculis habere potuerunt; ideo huiusmodi causa non aderat ut ad illos undique fideles recurrent.

Unde ergo ratio illius facti universi et continuo?

Christus, Ecclesiae conditor, ut Evangelia testantur, s. Petrum suum vicarium in terris constituit, et illi supremam gubernationem Ecclesiae, quae usque ad finem seculorum duratura esset, commisit. Petrus autem, ut historica probant documenta, Romae fuit, Romanam Ecclesiam fundavit; illam usque ad mortem rexit. Romanus autem Episcopus statim a principio Ecclesiae habitus fuit a fidelibus uti successor sancti Petri; quapropter uti Christi vicarius et uti caput totius Ecclesiae. Haec est vera et unica causa, cur Roma statim ab Ecclesiae initio facta est centrum et caput totius orbis christiani. Ad Romanum episcopum fideles proprie et praecipue convalabant, quia ipsum successorem s. Petri et vicarium Christi in terris, in Sede Romana existentem, considerabant. Id Christiani persuasum sibi habebant iani ab Ecclesiæ exordio; propter hoc iam tribus primis Ecclesiae saeculis in eorum spiritualibus necessitatibus ad Romanum Pontificem recurrabant; Romanam Ecclesiam videre quam maxime desiderabant; propter hoc iam illo tempore Roma mentes et corda fidelium ad se attrahebat!

Quod evenit tribus primis saeculis, hoc, redditæ Ecclesiae libertate, decursu saeculorum crevit et usque ad nostram aetatem sine interruptione perseveravit. Liceat

<sup>1</sup> Decius imperator... «infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, eum multum patientius et tolerabilius audire levari adversus se aemulum principem quam constitui Romae Dei sacerdotem». S. CYPRIANUS, *Epist. 52, 9.* (MIGNE, P. L., 3, 792).

ergo nunc mihi concludere verbis s. Thomae Aquinatis et Summi Pontificis Pii XI, feliciter regnantis, qui eamdem rem diverso modo exprimit. Angelicus Doctor dicit: «Et ideo (Christus) ut suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quae caput mundi erat, etiam caput Ecclesiae statuit, in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum, secundum illud Isaiae (26, 5): *Civitatem sublimem humiliabit... et concubabit eam pes pauperis*, scilicet Christi; *gressus egenorum*, id est apostolorum Petri et Pauli».

Et Summus Pontifex Pius XI, in sua Encyclica *Ubi arcane Dei*, ita loquitur: «Italiā, inquit, a Deo ipso, qui rerum omnium temporumque cursum atque ordinem sua providentia gubernat, delectam, in qua Vicarii sui in terris sedem collocaret, ut haec alma Urbs domicilium quondam imperii amplissimi, sed tamen certis quibusdam circumscripti terminis, iam totius orbis terrarum caput evaderet, quippe quae divini Principatus sedes, omnium gentium nationumque fines sua natura transcendentis, populos omnes, nationesque complectereetur».

AMBROSIUS BAČIĆ, O. P.

<sup>1</sup> *Summa theol.*, III, q. 25, a. 7. ad 3.<sup>2</sup> Encycl. *Ubi arcane Dei*, 23 dec. 1922 (*Acta Apostol. Sed.*, XIV [1922], 698).

### SOCII MONITUM

Socios, qui nondum subnotationis suaee premium solverunt, vehementer rogamus ne diutius remorentr rationes suas cum Administratore nostro componere. Nullus enim reditus Commentario est, nisi qui ex subnotationibus redigitur; quem si quis subtrahit, laboris fructum nobis surripit. Atque tamen non pauci sunt, qui Commentarium iamdiu retinent, nullo soluto pretio!...

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

§ III. - *De nominibus adiectivis, quae in aliam orationis partem aut in integrum sententiam eleganter migrant.*

I. - Nomen adiectivum nonnunquam redditur nomine substantivo, quod  
1º aut adiectivorum more construi-  
tur, <sup>2</sup> v. g.:

*Exercitus tiro* (Cic., *Epist.*, VII, 3, 2).

*Regis Antiochi filios pueros scitis Romae fuisse* (Cic., *De Sign.*, 27, 61).

*Cui inerat contemptor animus et superbia* (Sall., *Jug.*, 64, 2).

*Illa scelerata et poene deletrix huius imperii sica.* (Cic., *Har.*, 23, 49).

2º aut genitivo effertur, <sup>3</sup> v. g.:

*Equitatus hostium* (= hostilis) (Cic.).

*Dolor corporis* (Cic.).

*Civium* (= civilia) iura (Cic.).

*Naturae* (= naturalis) lex (Cic.).

*Ferocitas iuvenum* (= juvenilis) (Cic.).

*Vita adolescentiae* (= juvenilis) (Cic.).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Nomina in «tor» saepe hoc modo ponuntur; v. g.: *Ipse ille latronum occulator et receptor locus* (Cic., *Pro Mil.*, 19, 50).

<sup>3</sup> a) Huiusmodi genitivus potest etiam esse vocabulum substantive positum; v. g.: *Frementium voces* (Cic.), *Omnium* (= publica) utilitas (Cic.), *Omnium* opinione celerius (Cic.). — Praeter omnium exspectationem (Cic.).

Dicitur «omnium oculi» non «omnes oculi», v. g.: In te *omnium* coniecti oculi sunt (Cic.).

b) Adiectivum abstractum sic saepe redditur substantivo quo cum congruit; v. g.: *Scientiae* (= «scientifica») per vestigatio (Cic.). — *Erroris* (= falsa) opinio (Cic.). — *Animi* (= «intellectualia») studio (Cic.).

c) Hic genitivus non est genitivus qualitatis. Genitivo tamen et ablativo qualitatis certa adiectiva etiam reddi possunt. Sed huiusmodi genitivo et ablative adiectivum annexendum est. V. g.: Homo constans vel *magna constantiae*. — Vir *ingeniosus* vel *magni ingenii*.

II. - Latini saepe unico substantivo redundunt substantivum et adiectivum, quem huic adiectivo maior vis inest quam substantivo et adiectivi notio maioris est pendens; v. g.:

*Moveri comprobatione honestatis* (= actionum honestarum), *offensione turpitudinis* (= actionum turpium) (Cic.).

*Indignitas* (= indigna ratio agendi) (Cic.).

*Gravitas* (= gravis habitus corporis) (Cic.).

III. - Quum adiectivo peculiaris vis inest, permutatur saepe in nomen substantivum, quod eius qualitatem in abstracto exhibit et sequitur dein genitivus. <sup>4</sup> Quo casu effertur substantivum, cui adiectivum erat appositorum; v. g.:

*Nec sine varietate doctrinae* (= varia doctrina) satis politus et sapiens esse orator potest. (Cic., *De Orat.*, III, 21, 80).

*Hunc tu vitae splendorem* (= vitam splendidam) maculis aspergis istis! (Cic., *Pro Planc.*, 12).

*Ubertas agrorum* (= uberes agri) (Cic., *Pro dom.*, 7, 7).

IV. - Duorum substantivorum, quae coniunctionibus «et, que, atque, ac» copulantur, alterutrum, prius fere, non raro ponitur pro adiectivo; <sup>2</sup> v. g.:

*Solitudo ac recessus* (= recessus solitarius) (Cic., *Ad Attic.*, 12, 26).

*Ferro et bipennibus* (= bipennibus terreis) (Virg., *Aen.*, II, 627).

*Pallam signis auroque* (= aureis signis) rigentem. (Virg., *Aen.*, I, 653).

<sup>1</sup> Hoc fit etiam, patro sermone, ad elocutionem expressam.

<sup>2</sup> a) Haec dicendi ratio hendiadys vocatur.

b) Huius ope non raro suppletur et adiectivis deficientibus et adiectivis metaphoris, quae ab animalibus ad inanimata essent transferenda; v. g.: *Furor ac tela* (= furiosa tela) (Cic., *Cat.*, I, 1, 2)

V. - Interdum nominis adiectivi locum tenent adiectiva

1º possessiva; v. g.:

*Utebatur populo sane suo* (= benevolo) (Cic.).

*Loco aequo, tempore tuo* (= opportuno) pugnasti (Tit. Liv., XXXVIII, 45, 10).

*Claudius aestu suo* (= opportuno) Locrus traecit (Tit. Liv., XXIII, 41, 11).

2º demonstrativa; v. g.:

*Hanc hoc* (= proximo) biennio consul evertes (Cic., *Somm. Scip.*).

*Ipsa* (= vera) virtus (Cic.).

VI. - Loco adiectivorum in «bilis», Latini frequenter usurpant:

1º participium vocis passivae, addita plerumque particula negativa «in»; <sup>4</sup> v. g.:

*Invictus* (= invincibilis) (Cic., *Verr.*, II, 4, 38, 82).

*Insanos atque indomitos* (= indomabiles) impetus vulgi cohibere (Cic., *De Rep.*, I, 5, 9).

Quae vox potest esse *contemptior* (= «contemptibilior»)? (Cic., *De Sen.*, 9, 27).

*Arx invictissima* (Tit. Liv.).

2º participium in «dus, da, dum», ut plurimum in sententiis forma aut saltem sensu negativis. <sup>2</sup> V. g.:

*O impudentiam non ferendam* (= intolerabilem)! (Cic., *Phil.*, II, 6, 15).

<sup>1</sup> Ex ipso contextu est diiudicandum utrum huiusmodi participium gaudeat sensu participii an sensu merae possibilitatis.

<sup>2</sup> a) Etiam huic participio addunt interdum particulam «in»; v. g.: *O intolerandum dolorem!* (Cic., *Verr.*).

b) Berger scribit ea participia pro adiectivis in «bilis» usurpari saltē post iam usurpata huiusmodi adiectiva (Cf. *Stylistique latine*, § 19). V. g.: Est in aliqua vita *praedicabile* aliiquid et *gloriandum* ac prae se *ferendum* (Cic., *Tusc.*, V, 17, 49).

c) Apud Laurand scriptum legimus: «In propositione affirmativa, poëtae tantum participio in «dus, da, dum» hunc sensum attribuunt» (Cf. *Etudes grecques et latines*, VI, 528). V. g.: *Procul videnda* (= visibilis) est insula (Ov., *Metam.*, XIV, 24, 4).

*Vix erat credendum* (= credibile) (Caes., *De bel. gal.*, V, 28).

*Nihil esse in vita magnopere expetendum* (= expetibilem), nisi laudem et honestatem (Cic., *Pro Arch.*).

*Optanda* (= optabilis) mors est sine metu mortis mori (Sen.).

VII. - Nomen adiectivum interdum redditur:

1º praepositione cum substantivo; v. g.:

*Sine ulla specie* (= indecora) materia (Cic., *Acad.*, I, 7, 27).

*Lectionem sine una delectatione* (= in-iucundam) neglego (Cic., *Tusc.* II, 3, 7).

*Negant animum sine corpore* (= separatum) se intelligere posse (Cic., *Tusc.*, I, 22, 50).

*Graeci alicuius loquacitatem sine usu* (= vanam, sterilem) requirunt (Cic., *De Or.*, I, 23, 105).

2º adverbio <sup>1</sup>; v. g.:

*Omnibus deinceps* (= sequentibus) diebus. (Caes.).

*Omnis circa* (= vicini, circumiacentes) populi (Sall.).

VIII. - Adiectiva in «bilis» et alia nonnulla latine sententia relativa interdum redduntur; <sup>2</sup> v. g.:

*Quod non appetet; quod cerni non potest* (= invisible) (Cic.).

*Cui nihil addi possit* (= perfectum) (Cic., *Or.*, I, 3).

*Exercitationibus quibus utuntur omnes* (= communibus, solitis, consuetis) (Cic., *De Or.*, I, 5).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

<sup>1</sup> Participia passiva praeteriti temporis, quae substantiae pronuntur, semper habere possunt adverbium pro adiectivo, praesertim quum nominativo plurali effeuntur; v. g.: *Acute* (= acuta) responsa (Cic., *De Am.*, 2, 6). — *Eius multa inique constituta et acta* (Cic., *Ad Attic.*, VI, 1, 2).

<sup>2</sup> Aut alia circuione.

## CERTAMINA POËTICA

De certamine poëtico Hoeufftiano an. MCMXXXI

A regia disciplinarum Academia Nederlandica exitum accepimus Certaminis poëtici Hoeufftiani huius anni MCMXXXI, uti sequitur:

De uno et triginta carminibus ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit nemo. Sumptibus legati in volumen recipientur carmina q. t. *Ver lacrimosum*, *Ultimi Ovidii dies*, *Fabius et Cornelio*, si poëtae eorum scidularum aperiendarum dederint veniam.

1. *Duci, dum Roma renascitur*. 2. *Fabius et Cornelio*. 3. *Redditus Tibulli*. 4. *Musculum ad Cynthiam*. 5. *Cara deum suboles!* (*in Vergilium nascentem epylion*). 6. *Andes* (*Virgilius ad Maecenatem*). 7. *Vergili fuga*. 8. *Cupressus*. 9. *Fabularum liber alter*. 10. *In adventum Neapolini Beniti Mussolini*. 11. *In Iesu Christi nativitatem*. 12. *De Virgilii nativitate*. 13. *Pueri*. 14. *Venatio Quintilis*. 15. *Epi grammaton liber*. 16. *Polum versus*. 17. *Clitunni fabula*. 18. *Ignoto militi d. MCMXV-MCMXVIII*. 19. *Sic dilectus renascitur flos*. 20. *Ultimi Ovidii dies*. 21. *Fortni et Masonis taberna*, 182 *Piccadilly W.-I*. 22. *Immaculata conceptio*. 23. *Batavus nauta*. 24. *Felis viator*. 25. *Ver lacrimosum*. 26. *Apud Mincium*. 27. *Dum Latium Ausonidum robur de fronte virescat, et Latio robur nectere flore decet*. 28. *Duo corda, unum cor*. 29. *In proelium ad Sancti Laurentii*. 30. *Ad P. Vergilium Maronem anno post Christum natum MCMXXX*. 31. *Convivium Neronis*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentative privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus

manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXXIImittantur ad « het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam », munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portable prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperienda venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

P. SCHOLTEN

Ord. lit. acad. reg. ab actis.

### Novum certamen poëticum inter Italos indictum.

Anno DCCC a Basilica Aquileiensi dictata, x ab ignotis militibus in ara patriae compositis, curatores festis agendis, ut uterque dies anniversarius gravis cum rerum gestarum memoria tum Italorum omnium gratia et favore, concinna rerum opportunitate commemoretur, cum clarissimo R. Academiae Italicae moderatore electi erunt, post certamen transactum, dissignabitur.

I. Praecipua carminis materies aut in communi antiquarum vel recentiorum urbis Aquileiae rerum argumento, aut in singulari quadam re, quae eiusdem urbis naturae historia hominumque fama, versetur.

II. Singulum quodque carmen ne centum versibus minus, neve trecentis pro-

ductius sit; attamen iudicibus si quod carmen peculiaribus excelsisque luminibus clarum atque excellenti quadam ornatum venustate videatur, ab huiusmodi rerum condicionibus discedendi facultas sit.

III. Latino carmini conversio vel soluta vel vincta oratione conscripta addatur, quo commodius facilusque carmina praemio insignia longe lateque diffundantur.

IV. Carmen ne antea editum sit.

V. Idem machina scriptoria nitide expressum sit.

VI. Carmina xvii kal. Oct. hoc anno MCMXXXI ne serius duodecimeta hora, hac praecipua inscriptione, reddantur alla sede del Comitato per la celebrazione del IX centenario della Basilica d'Aquileia e del decennale del Milite Ignoto. Via della Prefettura 17, Udine.

VII. Singulus quisque codex scriptus sententia muniatur, eademque adiectis verbis auctoris nomen et domicilium indicantibus in obsignato involucro iteretur, quod a iudicibus, qui a curatoribus festis agendis una cum R. Academiae Italicae moderatore electi erunt, post certamen transactum, dissignabitur.

VIII. Codices scripti non reddentur.

IX. Iudices sine provocazione erunt.

X. Iudices duo carmina servato laudem ordine diligent, quorum prius MD, alterum m italicarum libellarum praemio coronabunt; curatores autem festis agendis integrum sibi singuli cuiusque carminis proprietatem iuxta latas apud nos de litterarum proprietate tutanda leges, reservant.

XI. Nomina eorum, qui praemio digni habiti erunt, v kal. Nov. conventu Aquileiensi, publice consulatabantur, victorumque carmina typis edentur.

Praeses: ALOSIUS SPEZZOTTI,

Sen. Regni Italiae.

Pro praeside: ARISTIDES CALDERINI.

Curatores: Ioannes Brusin, Antonius Fior, Ferdinandus Forlati, M. Justulin,

Pius Paschini, Antonius Morassi, Aloysius Suttina, Franciscus Tullio, Iosephus Vale, Gualterius Valentini.

A secretis idemque dispensator  
HUGO ZILLI.

### ULTIMA NOX

Josepho Lipparino illud  
memorans « Redde Caesaris  
Caesari ».

*Ut flavum trepidi dulcedine capta capillis  
contemplabatur prima sub nocte puellum  
alma parens, docti roseo dum stamine linum  
exornant nitidum digiti sub lampadis orbe!  
Hic castella vagus semota in parte struebat  
multa puer; parvo tamquam ruiturus ad arma  
insidens minutabatur tumido ore caballo  
et modo quadrupedem pictum subiungere curra  
conatus vacuas implebat lusibus aedes...  
Dein fessus: - Mamma, (ad matrem de more cu-  
[currit,  
inseruitque manus, oculis oculosque tenellis  
matris conspiciens dedit oscula dulcia summis  
lobris) mamma, pio dic, dic, matrcula, nato,  
quas scis, historias...: reginas, proelia, turres  
longinquas, fatas aurato lumine claras  
aque malos Orcum pueros sub ventre vorantem ...  
Mater, fabellas... — Genetrix tum lina reponens  
candida mirificis quae floribus arte nitebant  
amplexu tenuit trepido dulcissima natum,  
et fracto pueri mulcens sermone capillos  
sancta loqua diu est leni modulamine vocis  
fatias enarrans, reginas turribus altis  
inclusas, puerum caeca sub nocte voratum  
in nemore...; inde alium tranquillis prodere verbis  
fusius intacta placuit de Virgine natum  
cum nox angelico fulgeret lumine caelis  
innumerisque polus modulis resonaret apertus...  
Anxius ora puer genitricis dicta bibebat  
omnia, resque oculis intentis aure secutus  
horrebat modo, laetitiam modo pectore captans  
ridebat cupidus, totisque micabat ocellis.*

*At fessa interea paulatim membra pueri  
deflectebantur tacita devincta quiete:  
palpebrae siccae haerebant et lampadis ignis  
productos tremulos radios iactabat in orbem,*

verbaque maternis labris incerta fluebant.  
Nil clarum auriculis: occulto murmure ductus  
verborum, Somni labentis regna subibat.

— Heu, cubitum, cubitum (sic mater), pupule, ea-

[mus! —

compressitque sinu puerum (tam pulcher et albus  
ille erat aspectu!), tepido posuitque cubili.  
Circum iucundae collum dedit ille parentis  
brachia; dein, precibus imo de pectore fusis,  
suavia porrexit maternis oscula labris  
ultima...

Sed maesto genetrix sanctissima natum  
iuxta aderat vultu; quo nescio gurgite pulsa  
plurima ab ignoto mente fallebat imago  
dum frontique genisque iterumque iterumque te-

[nelli]

mater blanditur. Nondum compleverat artus  
alma quies, nondumque vigil puer ille...; tempore  
sub lini placido manibusque foventibus usque  
in tenuem tamquam nebulam per devia sensim  
res vanescabant... Auri nemus ecce videbat  
fluminaque, arguta ludentes carmen avena  
pastores, pecudesque simul, simul hymnus ab alto  
audiri caelo visus, qui murmur divo  
mulcebat pectus... Puerorū sopor altus habebat.

Mater at interea propior moestissima nato  
— ut puer hic dulcis! — gelida sub nocte decembri  
evigilabat amans, incerto lumine quippe  
cantemplabatur clausum vix blanda labellum,  
halitu et alterno linum eeu flamme motum.

Spectat dum puerum, precibusque levamina captat  
noctis saevisbat tenebrosa ventus in umbra.  
Mox siluere preces... ignotis viribus illa  
acta vagabatur vigilans ad limina sonni  
atque oculis vacuum defigens mira videbat.  
Nempe maris tumidi fragili per aperta phaselō  
natus currebat. Perfractae ut lingulae apertum  
ignes sanguineo caelum fulgore secabant,  
undaque mugitus scopulos dabat horrida circum.  
(Aequora namque, freti intempsa nocte sicanī  
horrebant ventis, totum lateque paventem  
complebat tonitus reboanti murmure noctem).  
At puer ignarus parva requiescere cyma  
pergebat, subito cum marmoris unda fragosi  
progredivt torsit — dictu miserabile — tintrem  
ac natum pelagi miserum deiecit in undas.  
Emicuit genetrix clamans, vaga lumina flexit;  
cor subito intumuit lacrimis, puerumque grabato  
qui species somni sequitur, conspexit ut amens...  
Subrisit tenui gemitu, dein, poplite flexo,  
Virginis auxiliū precibus votisque precata

lintea compositu nato, dedit oscula labris  
et proprius tandem demisit membra quieti.  
Lampade restincta tenebrae cecidere silentes;  
inscia pectoribus pulsabant corda propinquis,  
dum noctu exululant venti, dumque unda tenebris  
horrificis feriunt cautes, crebrique fenestras  
percutiunt sonitis gelidi crepitantibus imbre...

Montibus in calabris incerto lumine cum iam  
vix aurora pavens caeli perfunderet axem,  
undique et ignaros homines sopor almus haberet  
pulsarentque vagas praenuntia somnia mentes,  
sopitum puerum species ludebat amoena.  
Ire videbatur per prata virentia laetus  
una cum genetrice pia, castella patebant,  
armatique equites, factae candore nivali  
ac nemus iunumeris concentibus omne canorum,  
angelicusque chorus modulis per cuncta pererrans.  
Fingit dum species, gaudet dum totus in illis  
nescio quos gemitus. fletus quos nescio longos  
interdum audibat... Iam dudum namque silentes  
implebant variis animantia vocibus oras;  
nocte tamen circum vigiles ululare per aethram,  
conclamare diu galli plaudentibus alis,  
postremque alti clamores reddere galli,  
et quandoque boves mugitu obrumpere noctem.

Hic pueri subito mutantur somnia motu;  
en ruere horrifico tellus est visa boatu,  
ipse manu inferna tanquam deiectus in altum  
visus et horrendo proprius clangore ruinam  
audire, inde levem gemitum.... nil deinde... Sed

[illi]

heu, gelidis vultum percussit flatibus aura.  
Confestim somnus diffugit. — Mamma! — vocavit  
flebilis: illius vox nulla est redditā voci,  
sideraque hic illuc — mirum! — per aperta videbat  
caeli... — Mamma, — iterum submisso — mamma! —

[precatus,


illius et nunquam vox illa est redditā voci.  
Pulveris implebat densissimus omnia turbo...  
Flere inde incepit. Submissō murmure: - Mamma! -  
rursus ait, nullusque pio dedit ore susurrum.  
Immaduere genae fletu, gemuitque per umbram,  
nullaque vox lacrimas materna coercuit illas...  
Conticuit tandem fessus, rursumque sopori  
membra dedit, tepidis veluti si rite capillos  
mulceret digitis vultu sanctissima mater  
et placidum alliceret longinquō a limite somnum...  
Cuncta per albescens pallebant sidera caelum.

Finibus eois cum post, aurora decembri  
extulit alba caput pavidum, miseraque ruina  
vidit deiectas urbes hinc inde sorores,

somnus adhuc linis puerum tranquillus habebat  
compositum; ruptis genetrix sed molibus atro  
sanguine perfusis, gelido sub pondere mortis,  
dulci illuc nato propior perfracta iacebat.

Palmis in Brutis.

JOSEPHUS MORABITO.



## AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi ge-  
neralia ex pluribus casibus particu-  
laribus abstracta, ex variis aucto-  
ribus collecta.<sup>1</sup>


§ 421 - Frequentissime observavi in  
pueris et infantibus, convulsione affectis,  
si venter nimium intumescat, intendatur,  
et durior evadat, moriuntur. Quare mortem  
praedicito pueris, si, convulsionibus  
gravibus, durus intentusque venter super-  
veniat.

§ 422 - Hydrops siccus, magnus et  
crudelis hic solidorum morbus, homines  
prae ceteris siccos, aridos, adustos, ira-  
cundos, alvo sicca laborantes, nimium  
excruciatos, intempestive, post abusum  
rerum calidarum, salinorum, acrum, vo-  
latilium, post ardentem aliquain febrem,  
nimias vigilias, aliaque id generis, quae  
corpus ordinario exsiccant, invadit. Incipit  
morbus a doloribus circa lumbos et um-  
bilicum. Pedes frequenter non intumescunt,  
nisi paucis ante mortem diebus, vel heb-  
domadis, cum tympanitide ascites super-  
venit; crescentibus in dies doloribus, nec  
remittente morbo, crescit cursim intensio  
elastica potentissima fibrarum abdominalis,  
sub specie tumoris ventris flatulenti: non  
quod flatus sit causa morbi, ut antiqui  
crediderunt, sed fibra intenta, crispataque  
et portentose oscillans, quae, quum tangi-  
tur, resonat, ut intenta, vel resiccata tym-  
pani pellis. Calidis remedii, purgantibus,

sudoriferis, quaeque agunt exsiccando, ma-  
lum exacerbatur vehementissime, et vires  
acquirit eundo. Contra, remediis humidis,  
anodynīs, demulcentibus, balneatione, sero  
et lacte, potionē aquarū copiosa, mitescit  
et saepe sanatur, ac cedit. Si vero, spreta  
remediorū vi, dolorum et fibrarū in-  
tensiones crescent quotidie, superveniunt  
vigiliae, inappetentia, febricula, alvi siccitas,  
sitis, etc., tandem solidorum diuturna  
crispatura, sensim quoque crispatur, con-  
trahit, exsiccaturque vasorum sistema,  
potissimum per abdominis longitudinem;  
et hinc ruptis, vel apertis lymphaticis,  
lymphaque deflente in abdominis cavi-  
tatem, sicco hydropi, ante mortem super-  
venit ascites lethalis. In huiusmodi casibus  
malum irrupt a solido: dum vero liquida  
in consensum trahuntur, aequilibrium  
mutatur, et liquidum pariter peccat. In cu-  
ratione tamen semper respiciendum ad  
solida erit, quae sane post mortem in  
mesenterio et vicinis locis arida, tabida,  
sicca et combusta inveniuntur. Quod in  
pluribus tympanitide mortuis observavi.  
(BALLONIUS).

(Ad proximum numerum).

I. F.



## ROMA SACRA

SS. D. N. PII PP. XI litterae encycliche  
de ordine sociali instaurando et ad  
Evangeliae Legis normam perficiendo,  
in annum XL post editas  
Leonis XIII litteras encyclicas « Re-  
rum novarum ».

Die XV superioris mens. Maii datae sunt a  
Summo Pontifice Pio XI ad universum or-  
bem litterae, quadragesimo anno expleto ex  
quo Leonis XIII litterae « De conditione op-  
ficium » prodiere, quarum commemoratione sol-  
lemniter ubique celebrata est.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

In iis, documentis revocatis praefati predecessoris sui, quae viam quodammodo iisdem litteris straverant itemque earum occasione summisque capitibus, scopus novarum litterarum exponitur: opportunum nempe Pio XI visum est, «dum sollemnus commemorationis quadragesimi anniversarii Litterarum *Rerum novarum* tanto animi fervore ab omnibus ubique, maxime vero ab opificibus catholicis undique in Alman Urbem confluentibus, celebratur, hac uti occasione ut quae magna ex iis in Ecclesiam catholicam atque adeo in humanam societatem universam redendarunt bona recolamus; tanti Magistri doctrinam de re sociali et oeconomica, a dubitationibus quibusdan vindicatam, enucleatus quoad quaedam capita evolvamus; denique oeconomia hodierna in iudicium vocata et socialismi cognita causa, radicem praesentis socialisturbationis detegamus, simulque unam salutiferam instaurationis viam ostendamus, christianam nempe morum reformationem. Haec omnia, quae tractanda suscipimus, tria constituent capita, in quibus exponendis praesentes hae Litterae totae versabuntur».

Et primo quidem, quae ex Leonianis litteris profluxerint beneficia perpenduntur, declarando tum quid ad rem Ecclesia egerit in re doctrinali atque in doctrina applicanda, tum quid egerint ii quorum res ipsa intererat, nempe sodalitia sive opificum, sive in aliis classibus. Hinc conclusio Litteras *Rerum novarum* utique magnam socialis ordinis Chartam extare: «Haec autem omnia – ita Pius XI – Leonianarum Litterarum beneficia, quae delibando potius quam describendo commemoravimus, tot tantaque sunt, ut plane ostendant immortali illo documento non commenticiam utut pulcherrimam humanae societatis speciem exhiberi; at potius Decessorem Nostrum ex Evangelio, ideoque ex fonte semper vivo et vitali, hausisse doctrinas, quae exitiale illud et intestinum humanam familiam dilacerans certamen, sin minus statim compонere, valde tamen mitigare queat. Huius vero boni seminis, ante quadraginta annos

tam copiose sati, partem in terram bonam cecidisse laetae testantur fruges, quae Christi Ecclesia atque humanum genus universum, Deo favente, inde collegit ad salutem. Nec temere dici potest Leonianas Litteras, longinquus temporis usu, *Magnam Chartam* sese probasse, in qua tota christiana in re sociali activitas tanquam fundamento nitatur oporteat. Qui autem easdem Pontificias Litteras earumque commemorationem parvipendere videntur, ii vel quod ignorant blasphemant, vel de iis, quae utcumque norunt, nihil intellegunt, vel, si intellegunt, iniuriae et ingratitudinis sollemniter redarguntur.

«Verum, quum, hoc eodem annorum fluxu, et dubia quaedam de nonnullis Leonianarum Litterarum partibus recte interpretandis aut de consecratiis inde deducendis prodierint, quae inter ipsos catholicos non semper quietis controversiis ansam dederunt; et ex altera parte novae nostrae aetatis necessitates mutataeque rerum condiciones accuratio rem Leonianae doctrinae applicationem vel etiam aditamenta quaedam necessaria reddiderint, opportunam perlibenter arripimus occasionem, his dubiis hisque hodiernae aetatis postulationibus pro munere Nostro Apostolico, quo omnibus debitores sumus, quantum in Nobis est, faciendi satis».

Sed antequam ad haec explananda accederet, illud praestituere voluit Pontifex, quod iampridem Leo XIII luculenter confirmavit, ius officiumque Supremo Ecclesiae Rectori inesse de rebus socialibus et oeconomicis supra auctoritate iudicandi; quo posito, ad singula descendens, de dominio seu iure proprietatis disserit.

Et primo «pro comperto et explorato habeatur neque Leonem neque eos qui, Ecclesia duce et magistra, docuere, theologos negasse unquam vel in dubium vocasse duplēm dominii rationem, quam individualem vocant et socialem, prout, singulos respicit vel ad bonum spectat commune; sed semper uno ore affirmasse a natura seu a Creatore ipso ius dominii privati hominibus esse tri-

butum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut, huius instituti ope, bona, quae Creator universae hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviant, quae omnia obtineri nullo modo possunt nisi certo et determinato ordine servato.

«Itaque duplex in quem impingi potest scopolus naviter cavendus est. Nam, sicut ex negata vel extenuata iuris proprietatis indole sociali et publica, in «individualismum» quem dicunt ruitur aut ad eum acceditur; ita privata ac individuali eiusdem iuris indole repulsa vel attenuata, in «collectivismum» properetur vel saltem eiusdem placita attingantur necesse est. Nisi haec pae oculis habebantur, prono itinere in modernismi moralis, iuridici ac socialis syrtes abrumendum est; idque potissimum noverint ii, qui novis rebus studentes, probrosis calumniis Ecclesiam criminari non verentur, quasi permiserit in theologorum doctrinam dominii conceptum ethnicum irrepere, cui aliis sit prorsus sufficiendus, quem mira inscita christianum appellant.

«Ut autem controversiis, quae de dominio officiisque eidem inhaerentibus agitari coepiunt, certos limites ponamus, fundamenti instar praemittendum est, quod Leo XIII constituit, ius nempe proprietatis ab eius uso distingui. Etenim possessionum divisionem sancte servare neque proprii dominii limites excedendo alienum ius invadere iustitia illa iubet, quae commutativa audit; dominos autem re sua non uti nisi honeste, non huius est iustitiae, sed aliarum virtutum, quarum officia lege agendo petere ius non est. Quare immerito pronuntiant quidam dominium honestumque eius usum iisdem contineri limitibus; multoque magis a veritate abhorret ipso abusu vel non usu ius proprietatis perimi aut amitti.

«Quapropter, ut salutare et omni laude dignum opus agunt quicumque, salva animorum concordia et doctrinae integritate, quam semper tradidit Ecclesia, intimam horum officiorum naturam atque limites definire con-

nantur, quibus vel ipsum ius proprietatis vel usus seu exercitium dominiorum sint a socialis convictus necessitatibus circumscripta; sic contra falluntur et errant qui indolem dominii individualem adeo extenuare contendunt, ut eam de facto destruant».

Re vera hominibus hac in re non solum sui proprii commodi, sed etiam communis boni esse rationem habendam, ex ipsa domini indole individuali simul et sociali deducitur. Officia vero haec singillatim definire, ubi id necessitas postulaverit, neque ipsa lex naturalis praestiterit, eorum est qui rei publicae presunt. Reipublicae tamen munere pro arbitrio fungi non licere in aperto est. Neque omnino hominis arbitrio redditus eius liberi relinquuntur; ii scilicet quibus ad vitam convenienter atque decora sustentandam non egent; quin imo gravissimo divites teneri pracepto eleemosynae, beneficientiae, magnificentiae exercendae, Sacra Scriptura Sanctique Patres apertissimis verbis assidue denuntiant.

Pergunt praeterea litterae ad rationum examen inter rem (*capitale*) et operam, ex quo concluditur neutram sine altera quidquam efficere valere, opportuneque revocant iniustas alterutrius vindicationes, principiumque iustiae attributionis directivum ponunt. «Iam vero – aiunt – non omnis rerum opumve distributione inter homines apta est, per quam omnis a Deo intentus aut omnino aut ea qua per est perfectione oblineatur. Quamobrem divitiae, quae per incrementa oeconomico-socialia iugiter amplificantur, singulis personis et hominum classibus ita attribuantur oportet, ut salva sit illa, quam Leo XIII laudat communis omnium utilitas seu, aliis verbis, ut immune servetur societatis universae commune bonum. Hac iustitiae socialis lege, altera classis alteram ab emolumentorum participatione excludere vetatur. Non minus igitur illum violat locupletium classis, quum veluti curarum expers in suis fortunis aequum rerum ordinem illum putat, quo sibi totum, operario nihil obveniat, quam proletaria classis, cum

propter laesam iustitiam vehementer incensa et in unum suum ius, cuius est conscientia, male vindicandum nimis prona, omnia utpote suis manibus effecta sibi flagitat, ideoque dominium ac redditus seu proventus, qui labore non sint quaesiti, cuiuscumque generis si sunt, aut cuiuscumque numeris in humano convictu vicem praestant, non aliam ob causam, nisi quia talia sunt, impugnat et abolere contendit. Nec praetereundum est hac in re inepte aequae ac inmerito a quibusdam Apostolum appellari dicentem: « Si quis non vult operari, nec manducet »; (*II Thess. III, 10*) sententiam enim Apostolus fert in eos, qui ab opere abstinent, etsi laborare possunt et debent, monetque, tempore ac viribus sive corporis sive animi sedulo utendum, neque alios gravandos, quum ipsi nobis providere possumus. Laborem autem unicum esse titulum recipiendi victum aut proventus haudquam Apostolus docet. Sua igitur cuique pars bonorum attribuenda est: efficiendumque, ut ad boni communis seu socialis iustitiae normas revocetur et conformetur partitio bonorum creatorum, quam hodie ob ingens discrimen inter paucos praedivites et inumeros rerum inopes gravissimo laborare incommodo cordatus quisque novit».

Est autem hic ille, quem Leo XIII necessario quaerendum finem edixit: redemptio nem proletariorum. « In melius sane restitura est atque aequior facta operariorum condicio, praesertim in cultioribus et amplioribus civitatis, in quibus opifices iam non possunt omnes ad unum pro miseria afflictis et inopia vitae laborantibus haberi. Sed postquam artes mechanicae humanaeque industriae quam celerrime innumeratas regiones, cum novas quas vocamus terras, tum ab antiquo exculta Orientis remoti regna pervasere et occupavere, in immensum excrevit proletariorum inopum numerus. Quorum gemitus clamant ad Deum de terra; hisque accedit ingens ruralium mercenariorum exercitus ad infimam vitae condicionem depressus omnique spe destitus quippiam quod solo con-

tineatur umquam obtinendi, proindeque, nisi consentanea atque efficacia remedia adhibeantur, proletariae condicioni perpetuo obnoxius.

« At licet verissimum sit proletariam condicionem a pauperismo esse probe discernendam, ipsa tamen immanis multitudo proletariorum ex altera parte, ex altera vero quorundam praedivitum ingentissimae opes argumento sunt omni exceptione maiori, divitias hac nostra, quam vocant « industrialismi », aetate tam copiose partas, haud recte esse distributas diversisque hominum classibus haud aequae applicatas.

Quare omni vi ac contentione emitendum est, ut saltem in posterum partae rerum copiae aequa proportione coacerventur apud eos, qui opibus valent, satisque ample profundantur in eos, qui operam conferunt, non ut in labore remissi fiant, — natus est enim homo ad laborem sicut avis ad volatum, — sed ut rem familiarem parsimonia augeant; auctam sapienter administrando facilius ac securius familiae onera sustineant; atque emersi ex incerta vitae sorte, cuius varietate iactantur proletarii, non solum vicissitudinibus vitae preferendis sint pares, sed etiam post huius vitae exitum iis, quos post se relinquunt, quodammodo provisum fore confidant».

Haec vero deduci ad effectum non poterunt, nisi sollertia et parsimonia ad modicum aliquem censem proletarii provehantur. « Unde vero, nisi ex operae mercede poterit, parce vivendo, quidquam sibi seponere, qui nihil habeat nisi operam qua sibi victimum et vitae necessaria comparet? » Hinc Pius XI de salario quaestionem aggreditur, docetque in primis hodiernis humanae consortium conditionibus consultius fore si, quoad fieri possit, contractus operae per societatis contractum aliquantum temperetur, quemadmodum diversis modis fieri iam coepit, haud exiguo operariorum et possessorum emolumento. « Ita operarii officialesque consortes fiunt dominii vel curationis, aut de lucris perceptis aliqua ratione participant ».

De iusta autem mercedis portione memorat Leoniana pracepta, plures esse considerandas in re causas, praesertim quod « sicut dominii, ita operae, eius praecipue quae alteri locatur, praeter personalem seu individualem, socialem quoque rationem esse considerandam liquido deprehenditur: nisi enim corpus vere sociale et organicum constet, nisi socialis et iuridicus ordo operae exercitium tueatur, nisi variae artes, quarum aliae ab aliis dependent, inter se conspirent ac mutuo compleant, nisi, quod maius est, consocientur, ac quasi in unum convenienter intellectus, res, opera, nequit fructus suos gignere efficientia hominum. Haec ergo nec iuste aestimari neque ad aequalitatem rependi poterit, eius natura sociali et individuali posthabita ».

Ex hac quidem duplice nota, quae operae humanae insita natura est, gravissima emanant consecaria, quibus salarium regi et determinari debet. Ac primum, mercedem operario suppeditandam esse, quae ad illius eiusque familiae sustentationem par sit; praeterea rationem habendam esse officinae eiusque susceptoris — (quo in negotio, sane gravissimo, necessitudo quedam et christiana animorum concordia inter moderatores et operarios vigeat atque efficaciter operetur oportet); — denique publico bono oeconomico mercedis magnitudinem attemperandam esse. Alienum est enim « a iustitia sociali, ut proprii emolumenti gratia et posthabita boni communis ratione opificum salario nimis deprimantur aut extollantur; eademque postulat, ut consiliorum et voluntatum consensione, quantum fieri potest, salaria ita regantur, ut quam plurimi operam locare convenientesque fructus ad vitae sustentationem percipere possint.

« Apposite etiam ad rem facit recta inter salario proportio: quacum arcte cohaeret recta proportio pretiorum, quibus illa venient, quae a diversis artibus progignuntur, qualia habentur agricultura, ars industrialis, alia. Haec omnia si congruenter serventur, diversae artes in unum veluti corpus coag-

mentabuntur et coalescent, membrorumque instar, mutuam sibi opem perfectionemque afferent. Etenim tum demum res oeconomico-socialis et vere constabit et suos fines obtinebit, si omnibus et singulis bona omnia naturae, arte technica, sociali rei oeconomiae constitutione praestari possunt; quae quidem bona tot esse debent, quot necessaria sunt et ad necessitatibus honestisque commodis satisfaciendum et ad homines provehendos ad feliciorem illum vitae cultum, qui, modo prudenter res geratur, virtuti non solum non obest, sed magnopere prodest ».

(*Ad proximum numerum*).

## ANNALES

### Genevenses sessiones.

Genevae, apud Nationum Societatem, plures consessus habiti simul sunt: coetus nempe supremi eiusdem Societatis; Curatorum ad rationes perquirendas quibus bella praeripere liceat; Virorum denique ad perpendenda tum propositam pactiōnem de vectigalibus inter Germaniam Austriamque, tum Briandi consilium circa foedus inter Europae nationes ineundum. De postremis hisce rebus maxime vehementerque disceptatum, conclusumque est alterum ad Hagense tribunal esse deferrendum, dum interim partes contrahentes ab ulteriore actione abstineant; de altero adhuc esse cunctandum.

\* \* \*

### Novus Gallicae Reipublicae praeses.

In Gallia novus Reipublicae praeses electus est.

In certamen praecipue descenderant hinc Paulus Doumer, Senatus praeses,

inde Briandus, exterorum, uti notum est, negotiorum iam diu administer. Quum autem ex prima suffragiorum ratione plurium numerus pro Doumero stare apparet, Briandus a dimicatione recessit et officium suum abdicavit. Doumer vero, praeses electus, quum apud eum institerit ne id faceret, protestatusque fuerit tum suum tum collegarum favorem atque universae civitatis omnis illum semper obtinere, Briandus a proposito recessit, Genesamque contendit ad Galliae iura tutanda; indeque redux ab ovante populi multitudine acceptus Lutetiae Parisiorum est, pariterque publicus legatorum coetus, postquam ibi quomodo expleverit mandatum suum exposuit, amplissimam laudem ei attribuit.

### Hispanicae res et Lusitani motus.

Hispanicae res haud placide viam suam sequatae sunt. Communistarum enim et anarchistarum factiones nactae occasionem, insaniam suam longe lateque criminibus satiarunt: coenobia, templa, scholae igni tradita, in diurnorum officinas virosque regiae parti faventes saevitum; ipsum Berenguerum, copiarum praefectum, iamque administratorum collegii praesidem, eiusque collegas in carcerem detrusos, Alfonsi bona pignore capta... Gubernium tamen pro tempore constitutum ulteriora facinora compescere valuit; multi vero timent ne occasione comitiorum, quae ad diem xxviii huius mensis Iunii indicta sunt, furores huiusmodi renoventur.

De Lusitanis motibus nunciatum est, Maderae rebelles, quum ante se Lusitanorum classem hostiliter missam vidissent, armis depositis, una cum seditionis principe Dias, tribuno militum, in deditio- nem venisse.

### Quadragesimi anni a Leoniana epistola de conditione opificum celebratio.

Per catholicum orbem universum Idus Maii, quo die quadragesimus annus explebatur ab edita Leoniana epistola illa de conditione opificum, sollemini ritu celebrati sunt, atque Romae coram ipso Pontifice Pio XI, qui novum ad rem radiophonicum nuntium attulit, litterasque novas encyclicas de argomento sapientissimas dedit.

POPULICOLA.

### VARIA

#### Canes.

Cuidam erant canes duo: is horum alterum ad venationes assuefecit, alterum ad custodiam domus. Si quid autem praedae, labore venatici partum, allatum forte esset, particeps fiebat illius et domesticus. Ferebat moleste venaticus et convicia ignaviae et desidiae faciebat domestico, querebaturque de suis illum defatigationibus et sudore bene vicitare. Cui domesticus respondit, non se accusandum esse, sed dominum, a quo non labores, sed aliorum labore quaesita absumere edocitus esset.

Indicat fabula imperitiae adolescentiae sustinendam esse parentibus culpam, qui non curarent recte filios educandos.

#### Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

*Pastilla Bononiensium more.*  
*Sparus dentex elixus cum condimentis piperatis.*

\* \* \*  
Botellus ex furfuricula.

Lumbus bubulus assus cum solanulis tuberosis.

Savillum Patavinum.

\* \* \*

locosa.

Tuccius in schola.

Magister de columborum utilitate disserit non solum in domestica vita, sed etiam ut nuncii tempore belli.

— Hi autem — concludit — viatores columbi vocantur.

Tuccius magistri sermonem incidens:

— Nunc demum intellego qua de causa Cristophoro illi *Columbi* cognomen fuerit!

Magister Tuccio:

— « Optimus », cuiusnam adiectivi superlativus est?

Tuccius prompte: — Septimi!

#### Aenigmata.

I.

Partibus ex iunctis, ambas quas musica [praebet,

Piscis flumineas, o lector, qui incolit undas Et nullo spinae qui laedit acumine, constat.

II.

Nomina praegreditur pars; idolum altera; [primus

Qui cecidit caesus miserando vulnere totum.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) *Roma*; 2) *Asia, Sinus, Anus, Asinus*.

Quoties loquimur aut non in opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non ut convenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum qui audiunt. Consideremus itaque quid loquamur.

S. HIERONYMUS.

### LIBRORUM RECENSIO

ALPHONSI MARIAE CASOLI e S. J. MUTINEN- SIS — *Lyricorum liber*. Mutinae, typis Vin centii et Nep., 1930.

Quum variis usque adhuc negotiis distractus fuerim, non potui de altero lyricorum libro Alphonsi Mariae Casoli iudicium facere; quapropter ab huius Commentarii lectoribus veniam peto. Legi tamen opusculum nitidis typis expressum, concinnis verbis intextum, easdemque in eo virtutes ac merita repperi, quibus sane in priore legendo delectatus sum. Apte enim egregieque Casoli versus effingit, tot exquisitis dulcibusque sensibus convertit et exornat, tanta ditat sonorum ac modulationum varietate, ut iure mireris tam modulata carmina in tuis manibus versari, nullaque haesitatione dicas ea veri ac genuini poëtae indolem pree se ferre.

Nam, etsi hic illic vestigia quaedam ex alieno fonte deprompta tibi occurant; etsi aliquid sentias iam tibi notum in aures resonans, tamen sic deprompta variantur, ut prorsus te fugiat unde haec vel illa, unde has illasve imagines ac verba poëta derivaverit. Sic in *Ecloga novissima* sunt quaedam ex horatiano fonte hausta; sed ipsa Horatii imago alia quasi ueste induitur, et, cum novis rebus sociata et confusa, toti carmini novum quemdam splendorem affert.

Quae lyricorum alterum librum efficiunt, fere omnia in certamine poëtico hoeufftiano magna laude ornata sunt: si praemium aureum non sunt consequuta, multis quidem rerum et sententiarum verborumque luminibus effulgent. Quid dulcius pacatusque Didio illo ludi magistro et musarum cultore, qui

rusticus, in macro vivens grandaevis agello cum cane et ancilla, longa assuetudine amicis, sub patulae quercus tegmine projectus, mae- stas ex animo querelas effundit? Quam effi- caciiter versus ille:

Extremum faciles, Musae, adspirate canenti,



## Vergilianum redolet:

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede labore! Deplorat enim ludi magister quod tempora vatibus infausta volvantur, ars ingeniumque nihil valeant, quum contra pedibus volueret lato valens pulmone plurimi habeatur... En antiqua vox, quae iam lyrici cuiusdam poëtae apud Graecos flebiliter in ore sonuit — ecquis enim ignorat illud Xenophanis iam gymnica certamina ταχυτήτος ποδῶν increpantis:

... οὐδὲ δίκαιον προκρίνειν ῥώμην τῆς ἀγαθῆς σοφίης?

At in carmine Casoli quam apte proprieque inflectitur, praesertim quum Didius ipse, vel in mediis animi questibus, suae velit egestati adhaerere eiusdemque vitae tenorem pergere.

In carmine *Vergilius et Maecenas*, qui quoque naturae sensu mire perfusus apparet, nonnulla vides ex *Georgicon* libro II de prompta et parce detorta: sed hīc quoque patet Casoli virtus aliena in suam rem apte convertendi.

In metro alcaico altius attollitur, ut in his versibus:

heu, heu, petentes ubere parvulos  
quam saepe sicco pectore depulit  
mater, furensque amplexa secum  
præcipites per inane traxit!

In hymnis, ut ad *Laudes et Vesperas*, optimis Ecclesiae exemplaribus utitur; in ode autem sapphica tractanda se peritissimum exhibet.

In carmine *Parvula avis*, in quo tamen multum inest leporis ac venustatis, quippe quod elegantissime reddat quot qualesve curas auctor passerculo nudo, ab extremo tecti limite prolapsa, tribuerit, nonnulla forsitan claudicantia offendas, ut in versu:

Iamque micat totus iamque vis insita suadet,  
vel demissiora, ut in:

parcite scriptores, quotquot eratis ibi.

Sunt autem quaedam in eodem carmine typographicis formis vitiouse excusa, ut v. 2 mulliculusque; 5 rofotum; 10 inque cavum formans accomodumque globum; 55 bis co-

hatus errat. Censeo non ultimam huic venu-  
stulo carmini manum accessisse, quum is sit  
Casoli in limandis perpolendisque versibus,  
ut nemo fere hac re illi praestiterit.

Quum hoc pervenerim, non possum quin  
ineritum praecnonium tribuam insigni viro  
THOMAE SORBELLI, qui summa ope contendit,  
novissimos poëtas colligendo et edendo, ut  
hosce latinitatis flores, seros quidem, at sem-  
per viridantes olentesque, ex italicō ingenio  
expressos, lectores non sine admiratione pree-  
manibus habeant.

M. GALDI.

## HORA POSTREMA

Laboris nostri socius singulari pree-  
mio ornatus.

Dum hic Commentarii numerus sub  
praelo est, nūncius ad nos pervenit exitus  
latini certaminis poëtici, quod Locris in  
Brutiis Carmelus Triumviri munificentia  
sua constituit; a quo quidem nuncio magno  
sumus gaudio perfusi. Victoriam enim  
reportavit

VINCENTIUS POLIDORI,  
operis nostri socius carissimus, cuius deli-  
catissima carmina *Alniae Romae* lectores  
jam diu noverunt et sunt admirati.

Non tamen pariter illis nota est viri  
modestia, subtilitas, integritas et religio,  
qua parvam etiam familiam suam prose-  
quitur, et mutuo diligitur; unde fit ut, quum  
ei ob honorem iure meritoque assequutum  
ex animo gratulāmur, uxori lectissimae  
dulcissimisque filiabus identidem gratule-  
mur.

I. F.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS